

No. 574. 1367. 29. Nov.

*Herzog Bolko von Schlesien erklärt, dass ihm vom Domcapitel und dem Archidiacon der Lausitz das Patronatrecht der Kirche zu Lübben aus besonderem Wohlwollen für seine Lebenszeit zugestanden worden.*

Nos Bolko dei gratia dux Slesiae, dominus de Furstinberk in Swidnicz et marchio Lusatiae notum facimus — quod vacante praepositura sive parrochiali ecclesia in Lubbyn per mortem domini Gebhardi de Bukkansdorf quondam eiusdem ecclesiae rectoris nos credentes ius patronatus ipsius ad nos tamquam terrae Lusatiae dominum pertinere, discretum virum dominum Bartholomeum Rolle curiae nostrae capellanum honorabili viro domino Conrado Prüsse archidiacono Lusatiae moderno, ad quem de consuetudine praescripta spectat institutio personarum ecclesiasticarum ad beneficia quaelibet ecclesiastica infra limites eiusdem archidiaconatus consistentia facienda, praesentavimus ad ecclesiam in Lubbyn praelibatam. Ipse vero archidiaconus asserens ecclesiam ipsam non ad nos, sed ad se solum et in solidum pleno iure pertinere, capellanum nostrum praedictum ad ipsam instituere recusavit. Tandem inquisita veritate invenimus, quod praedicta praepositura sive ecclesia fuit et est archidiaconatus Lusatiae praedicto de indulgentia beneplacito et consensu illustris principis Ludwici Romani quondam Brandenburgensis et Lusatiae marchionis ipsius ecclesiae tunc patroni annexa canonice et unita, et quod nobis in ea seu praesentandi ad eandem nullum ius penitus competebat, convenimus amicabiliter cum reverendis viris dominis praeposito, decano et capitulo ecclesiae Misnensis et archidiacono praelibato, quod ex speciali amicitia et favore facultatem praesentandi ad ecclesiam ipsam personam idoneam, quotiens vacare contingerit, nobis ad vitae nostrae tempora dumtaxat precario concesserunt, salva tamen donatione praedicti principis et unione de supradicta ecclesia in Lubbin facta ut praemittitur et iure sibi exinde quaesito, super quibus praedicti domini capitulum et archidiaconus sibi per concessionem huiusmodi praeiudicare et ab ipsis recedere non intendebant, ut dicebant. Et ne concessio huiusmodi adeo nobis gratuita facta ecclesiae Misnensi et archidiacono Lusatiae pro tempore aliquod in posterum nocumentum afferat aut afferre valeat, seu aliquis nobis aut successoribus nostris et posteris marchionibus Lusatiae seu personis quibusvis aliis ius aliquod vel possessio sive iuris vel possessionis titulo per concessionem et praesentationem huiusmodi quomodolibet acquiratur, de quo supradicti domini capitulum et archidiaconus de nostra certa scientia et voluntate expressa protestati sunt, hanc nostrae recognitionis et ratihabitionis paginam desuper conscribi et sigilli nostri maioris fecimus munimine roborari, in qua profitemur expresse, quod non iure aliquo nostro proprio, sed titulo precario nobis per praedictos dominos capitulum et archidiaconum concessio dumtaxat potestate praesentandi huiusmodi utamur seu uti deinceps debeamus. Datum Pragae anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo in vigilia sancti Andree apostoli.

Per dominum ducem Petrus de Czedlicz prothonotarius.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an einem Pergamentstreifen hängt das wohlerhaltene Siegel des Herzogs (Fusssiegel) mit einem Contrasingill S' Petri de Czedlicz (Wappen desselben, Querbalken).